



**Carolus M. Romanorum Imperator, Et Francorum Rex,
Romano-Catholicus, Libris IV. Explicatus, Et Vindicatus**

Schaten, Nicolaus

Nevhvsii, 1674

Cap. 5. De Baptismo, ejusque subjecto.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-99067](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-99067)

Bapt. Sacramenta non iustificant, nec ulli prosunt, sed sola fides. Quæ tam inaudita Catholicis, quam explosa ab omnibus doctrina vestra est: ne quid hîc de cæteris vestris erroribus attexam. Possem ego nunc eodem modo ex Carolo Magno sicuti ex S. Augustino præstitum est, septem Sacramenta asserere, sed id in singulis multò clariùs monstrabitur. Quapropter ad singula suo ordine progrediamur.

C A P U T V.

De Baptismo, ejusque subjecto.

Admittunt Lutherani cum Catholicis, Baptismum esse propriè dictum Sacramentum. Est enim ritus expressus, *Lavacrum aquæ in verbo vitæ*, Eph. 5. Institutionem quoque & mandatum habet S. Joan. c. 3: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*. Matth. ultimo: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. Promissionem deinde gratiæ admittitis nobiscum ex illo Marci ultimo: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*. Et ad Titum c. 3: *Salvos nos fecit, per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus sancti*. Inde catechismus Romanus definivit: *Baptismus est Sacramentum regenerationis per aquam, in verbo vitæ*. D. Thomas verò: *Baptismus est ablutio corporalis, facta sub hac verborum forma: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*. Hic materia proxima Baptismi est ablutio; remota verò aqua naturalis: quemadmodum id in concilio Lateranensi c. firmiter; In Florentino verò, decreto ad Armenos; & Tridentino sess. 7. de Bapt. definitum est. Quas deinde hæreses horum temporum adversus veram & Catholicam doctrinam de Baptismo damnet Concil. Tridentinum, eâdem sessione legere poteris.

Augustana vestra confessio, tanquam velatura omnes errores, nihil definit, tantùm Art. IX. sic habet: *De Baptismo docent, quod sit necessarius*

sarius ad salutem, quòdque per Baptismum offeratur gratia Dei, & quòd pueri sint baptizandi. Eadem ferè repetit Apologia. Melancthon interim Apologiæ architectus, in libro, quem *Loca theologica* inscripsit, ediditque anno M D LVIII. tit. de Sacrificio, ita definit: *Baptismus signum est, quo Deus nobiscum agit, & recipit nos in gratiam.* Sed hæc definitio omni Sacramento convenit, adeoque ipsi Verbo Dei, quod nemo unquam inter propriè dicta Sacramenta retulit. Nihil hîc apud Lutheranos de vero effectu Baptismi audias, nisi quantum per fidem suscipientis operatur Baptismus, quæ sola justificat apud illos. Inde Apologia in Artic. XIII. de Sacramentis in genere: *sicut Verbum Dei incurrit in aures, ut feriat corda; ita ipse ritus incurrit in oculos ut moveat corda, & fidem excuset.* Quare idem utriusque effectus est, Verbi videlicet Dei, & Sacramenti. Nihil hîc audis de originali peccato, quod per Baptismum remittitur; nihil de omni culpâ & pœnâ remissâ in Baptismo; nihil de gratia, quant ex opere operato confert, quâ verè & formaliter justificatur homo; nihil de fide & infusis donis; nihil de charactere indelebili, ob quem Baptismus iterari non potest.

Nihil de his quoque Nisanius, quæ multo dignior scribendi materia fuisset. Quid ergo titulo illo de Baptismo? Duo rursus. Primò agit de Baptismo infantum, in quo leviter perstringit Pontifices & Catholicos, quòd olim non nisi festo Paschatis & Pentecostes baptizarent. Secundò ad calumnias suas & mendacia transit, ac scribit: Catholicos seu Romanenses etiam campanas baptizare.

De Baptismo infantum nihil habes, in quo Catholicos reprehendas, hunc enim multo integrius, & sanctiùs, & sollicitiùs administrant Catholici, quàm vos Lutherani: neque tuis argumentis quibus eum asseris, indigemus; quæ multo clariùs ex Scriptura, Traditione, Concilijs, & Patribus, tot Catholici Doctores & Scriptores tradiderunt. *Nec enim oportet querere apud Ecclesia hostes veritatem, quam facile est apud Ecclesiam sumere, uti monet nos Irenæus lib. 3. c. 4.*

Nos verò ex hoc infantum Baptismo multa à vobis requirimus, in quibus nunquam satisfacistis nobis. I. Licet Baptismus infantum ex Scriptura probetur, nullum tamen, SS Patrum iudicio, clariùs & validius argumentum, quàm *Traditio*, in qua se Patres & Ecclesia fundant. Ita enim cæterorum nomine disertè Augustinus lib. 10. de Gen. c. 23: *Consue-*
udo

ratio matris Ecclesie in baptizandis parvulis, nequaquam spernenda est, nec illo modo superflua deputanda; nec omnino credenda, nisi Apostolica esset traditio. Idem lib. 4. de Bapt. c. 24. Lib. 1. de Peccat. merit. c. 26, ubi eadem repetit. Origenes lib. 5. in cap. 6. ad Rom. Ecclesia ab Apostolis accepit traditionem, etiam parvulis dare Baptismum. Ita Cyprianus lib. 3. Epist. 8. Hieronymus lib. 3. contra Pelag. Nazianzenus orat. in S. Lavacrum. Chrysostomus Hom. ad Niceph. Prosper. lib. 2. de vocat. gentium c. 8. Concilium Milevitanum, Gerundense can. 5. Bracarense II. can. 7. Quapropter Melancthon, cum Anabaptistæ urgerent mandatum pædo-baptismi sibi à Scriptura demonstrari, argumentum suum ex Traditione adversus Anabaptistas in fronte collocavit. At vos Lutherani, quàm fortiter ex eo argumento oppugnari vultis Anabaptistas, tam turpiter deseritis causam vestram reiiciendo Traditiones, quando Catholici contra vos urgent Canonem Scripturæ, numerum Sacramentorum, numerum sacrorum Ordinum, aliæque innumera; quæ haud minus, quàm Baptismus infantum, ex Traditione à Catholicis adversus vos probantur.

II. Hic à vobis requirimus fidem parvulorum. Dicitis enim, & docetis: ad omne Sacramentum requiri fidem, quæ per ritus excitetur, excitata verò justificet suscipientem: atqui talis fides non potest esse in parvulis baptizatis, quæ necessariò actualis esse debet, uti dicitis; parvuli autem dum baptizantur, nihil intelligunt actualiter. Atque hæc causa fuit, cur Anabaptistæ à vobis recesserint, & Baptismum distulerint ad adultam hominis ætatem, in quâ intelligere, & credere possint, juxta illud Marci ultimo: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, hic salvus erit.* Neque unquam huic argumento satisfecit Lutherus, neque cæteri post eum Lutherani. Respondent quidam: parvuli dum baptizantur, sentiunt motus quosdam, similes illis quos S. Joannes Baptista in utero matris exultans ostendit, quibus pueri ad fidem excitantur: ita Lutherani in concilio Wittenbergenfi, cum nullum alium exitum reperirent. Verùm hoc est ad continua miracula confugere; neque hujus responsionis ullum fundamentum in Scriptura. Imò jam dudum S. Augustinus risit hanc responsionem, *Epist. 57. ad Dardanum*, quippe quæ injuriam faciat sensibus, quando etiam contraria signa dant pueri, ejulatu alijsque motibus. Quapropter merum est figmentum, quod hic pro responso obtruditis, neque Kemnitius vester se aliter expedire potuit, quàm quod diceret,

H H H

rem

rem esse difficile intellectu, quod aliâ responsione hîc elabi non posset. Nisamus verò, tractatu de *Justificatione*, docet: certum quidem esse, in parvulis operari fidem, sed *modum* sibi esse incognitum. Tantis tu Doctor es, & doces quæ non scis, neque intelligis? Si Ecclesiam Catholicam audires, illa te *modum* doceret: parvulos videlicet per *infusam fidem*, & *caritatem* justificari. Bene de vobis dixit Apostolus 1. ad Timoth. 1. *Quidam aberrantes, conversi sunt in vaniloquium, volentes esse legis Doctores, non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.*

III. Ex Baptismo infantum, à vobis requirimus remissionem peccati originalis: certum enim est, omnes homines nasci in peccato originali. David psalm. 50: *In iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Apost. ad Eph. 2: *Eramus & nos naturæ filij iræ.* Rom. 5: *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit.* Et mox: *In quo omnes peccaverunt.* Jam verò ab initio nascentis Ecclesiæ, omnium Conciliorum & Patrum doctrina fuit, peccatum illud originale tolli per Baptismum; ideoque omnibus hominibus Baptismum necessarium esse ad salutem. Quam in rem innumera sunt testimonia, omnium instar sit Augustinus lib. 3. de orig. animæ c. 9: *Noli credere, noli dicere, noli docere, infantes antequam baptizentur, morte præventos pervenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum, si vis esse Catholicus.* In Epistola verò 20. ad Hieronymum scribit: *Qui dicit parvulos, qui sine participatione huius Sacramenti exeunt de viâ, posse in Christo vivificari, hic profecto & contra Apostolicam prædicationem venit, & totam condemnat Ecclesiam.* Eadem Caroli Magni doctrina, in Epistola ad Episcopos Hispaniæ, in professione fidei: *Prædicamus enim, inquit, & credimus veram remissionem peccatorum, sive per Baptismum, sive per poenitentiam.* Rursum: *Redite obsecro ad unitatem sanctæ Matris Ecclesiæ, ut vos eruat de angustia servitutis, qui vos per Baptismi gratiam à vinculo liberauit originalis peccati.* Vos autem Lutherani, etsi Baptismum nobiscum necessarium agnoscatis, & nostris argumentis oppugnetis Anabaptistas, & Calvinistas hanc necessitatem negantes, in simili tamen errore & damnatione estis. Docetis enim cum Lutero, Melanchthone, Libro concordiæ, imò cum ipso Calvino in *antidoto Concilij Tridentini*, peccatum originale non tolli per Baptismum, sed tegi tantum; uti id de omnibus peccatis docetis, quæ per Poenitentiam tolluntur. Fundamentum verò huius vestri erroris est, quia

quia statuitis: concupiscentiam verè, & propriè peccatum esse originale. Quo nihil absurdius doceri poterat à vobis: cùm concupiscentia maneat in homine, nec unquam tollatur Baptismo; nisi homines in Angelos transformare concessum sit novo vestro evangelio. At Scriptura ubique docet, per Baptismum tolli peccatum: Joan. 1. *Ecce Agnus Dei, qui tollis peccata mundi.* Eph. 5. *Mundans eum lavacro aquæ.* Et quæ in hanc rem innumera sunt testimonia. Quare Gregorius Magnus lib. 9. Epist. 39: *Qui dicit, peccatum in Baptismo non funditus dimitti, dicat, in mari rubro Ægyptios non veraciter mortuos.* Ita Augustinus lib. 2. de peccat. merit. c. 9: *Parvulo reatus originalis peccati, in Baptismi acceptione solvitur.* Lib. 6. c. 7. contra Julianum: *Peccatum hoc sola regeneratione solvitur, atque unico isto remedio pellitur & tollitur.* Atque hæc hæresis olim fuit Origenistarum, de quibus Epiphanius hæres. 64. *Messalinorum* apud Theodoretum, lib. 4. de fabul. Heret. aliorumque tempore S. Gregorij Magni docentium: per Baptismum non tolli peccata, sed regi: quam vos hæresin ab inferis resuscitatis, qui nos ad tam insulam Ecclesiæ vestræ doctrinam invitatis. Ut hic omittam ceteros Lutheri errores, non minus absurdos, dum docet: I. *Homines Baptismo fieri impeccabiles, nec posse damnari, etiamsi velint, nisi nolint credere.* II. *Baptismo liberari hominem ab obedientia divinæ legis.* III. *Baptismo exsolvi homines ab humanarum legum observatione.* IV. *Baptismo absolvi homines ab omnibus votis.* V. *Sola memoriâ Baptismi justificari à peccatis, quæ post Baptismum committuntur.* Quas hæreses vestras, aliasque idcirco ordine damnavit Concilium Tridentinum sess. 7. Nec minus refellunt Catholici tot scriptis & libris.

IV. Requiritur à vobis, & à te cumprimis, tanquam novo vestræ Ecclesiæ Doctore, necessitatem Baptismi ad salutem: Nam tua doctrina est in tractatu de justificatione: *Infantes Christianorum siue Baptismo mortuos, posse salvari, si casu aliquo necessitatis, à Baptismo excludantur, aut in utero materno extinguantur.* Hoc falso tuo dogmate primùm accedis Pelagianis, qui docebant: Baptismum non esse necessarium ad remissionem peccati originalis, tamen ad ingressum regni cælorum requiri dicerent. Eundem errorem defendit Vincentius Victor, contra quem scripsit S. Augustinus libros de anima. Sed nostri heretici, inquit Bellarminus, multo audaciores, docent: *ne quidem necessarium esse ad regnum cælorum.*

HHH 2

Quod

Quod primò docuit *Wiclef*, deinde *Zwinglius*, & *Bullingerus* ejus successor, sacramentarium antesignani; post illos *Calvinus* lib. 4. Instit. cap. 16. *Bucerus* in cap. 3. Matth. *Petrus Martyr* in cap. 70. ad Corinth. 1. Ita verò ex antiquis hæresibus procudere vobis novas semper placuit multo absurdiores, quàm Catholicæ doctrinæ inhærere; quando jam dudum id definitum est in Concil. Carthag. & Milevitano, teste *Augustino* Epist. 90. & 91: *Omni- bus infantibus Baptismum esse necessarium ad salutem, excepto casu Martyrij*: uti id ipsum etiam in Concilio Tridentino sess. 7. cap. 5. decisum est. Quod primò clarum est ex Verbo Dei expresso Joan. 3: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*. Quod Scripturæ pronuntiatum cum universalissimum sit, neminem, ac ne infantem quidem excludit. Neque privati hominis est, sed Ecclesiæ, Scripturam & Spiritus sancti mentem explicare. Id deinde constat ex Verbo Tradito, & perpetuâ Ecclesiæ traditione, ex Concilijs, ex Pontificum, & Patrum consensu, de quibus *Belarminus* lib. 1. de Bapt. c. 4. *Suarez* disput. 77. Sect. 1. *Vasquez* disput. 149. cap. 1. cæterique Theologi: quos si consulas, reperies esse de necessitate medijs, quâ omnes obligentur, siue scientes sint, siue ignorantes; siue potentes, siue impotentes: Secus est de necessitate præcepti, ut ex ijsdem discas. Patres qui hoc docent, magno numero adsunt, *Irenæus* lib. 3. c. 19, *Origenes* in cap. 6. ad Rom. *Nazianzenus* orat. in S. Lavacrum, *Basilus* orat. 13. de exhort. Baptismi; *Cyprianus* lib. 3. Epist. 8. *Ambrosius* lib. 2. de Abrahamo cap. ult. *Augustinus* lib. 1. de origine animæ cap. 12. & Lib. 3. c. 9. Epist. 28. *Prosper* lib. 2. de vocat. gent. cap. 8. *Fulgentius* lib. de fide cap. 30. *Bernardus* serm. 66. in Cant. Et quàm planè *Augustinus* supra citatus lib. 3. de orig. animæ cap. 9: *Quisquis dixerit, quod in Christo etiam vivificabuntur parvuli, qui sine Sacramenti ejus participatione de vita exeunt, hic profecto & totam contemnat Ecclesiam; ubi propterea cum baptizandis parvulis festinatur & curritur, quia sine dubio creditur, aliter eos in Christo omnino vivificari non posse*. Vides, ut S. *Augustinus* se revocet ad traditionem & judicium totius Ecclesiæ, quale tum ævo illo fuit de Baptismo infantum. Non jam moramur, quid *Calvinus*, quid *Zwinglius*; quid ex tua secta *Mentzerus*, & nonnulli novitatum amantes dicant. Ecclesiæ hoc est judicare ex Scriptura, Concilijs, & Patribus. Argumenta quæ adfers, ex *Calvini* pharetrâ sunt, & centies explosa. Dicis, præter

præter Baptismum fluminis, etiam esse Baptismum flaminis, & sanguinis, quo salventur homines. Ita est: sed de his constat ex Scriptura & Patribus. Deinde, hi non nisi Baptismi metaphoricè sunt, & per analogiam, quia veri Baptismi, qui unus est, absentiam suppleant; eundemque, quem ille, conferunt effectum gratiæ. De Baptismo Sanguinis per martyrium, constat tum ex Scripturâ Matth. 10: *Qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam*, tum ex SS. Patribus. De Baptismo Flaminis, per veram cordis conversionem, quæ includat contritionem, & charitatem, ac simul etiam desiderium, seu votum Baptismi, constat similiter ex Scriptura, Ezech. 18: *Si impius egerit poenitentiam à peccatis suis, iniquitatum ejus non recordabor amplius*; tum vel maxime ex SS. Patribus, Ambrosio de obitu Valentini Jun. Augustino lib. 4. de Baptismo. c. 22. Bernardo Epist. 77. alijsque. Demum ex Con. Trident. sess. 6. c. 4. Uti Luc. 3. & Marc. 1. appellatur *Baptismus poenitentiae*. Qua de re Bellarm. lib. 1. de Baptismo cap. 6. & passim Theologi. De quarto verò modo, quem tu hic addis, nullus Scripturæ locus, nulla Traditio, nullus SS. Patrum consensus est: sive eum per fidem parentum fieri velis, sive per extraordinariam Dei dispositionem. Quicquid tandem Cajetanus, & Gerson temerè opinati, rejectique à cæteris Ecclesiæ Catholicæ Doctoribus. Tam liberè nobis fidei dogmata, quàm Philosophorum placita obtruditis: sive illud Ecclesiæ vestra approbet, sive non. Neque etiam tu pro hoc dogmate tuo vel Augustanam confessionem, vel Apologiam, vel ullum conciliabulum, vel denique consensum doctorum sectæ tuæ profers. Quilibet Prædicans, qui supra vulgus Prædicantem se sapere credit, inter vos liberrimus est scriptor, doctor, & dictator. Labbadæum ob novitatem doctrinæ ejecistis, & novas quotidie ipsi supra veteres hæreses invehitis, propiusque semper ad Zwinglianos & Calvinistas acceditis, tanquam expulsi semel, vagantesq; spiritus illi Luc. 11. & Matth. 12. *ambulant per arida, & inaquosa loca, & nullibi requiem inveniunt*. Quocunque sursum & deorsum vertatis omnia, nulla unquam aut uspiam requies erit, & finis novitatum inter vos, nisi ad antiquam & veram Ecclesiam Catholicam redeatis, quæ *columna est, & firmamentum veritatis*.

V. Requiritur à vobis veteres Baptismi caerimonias, quas ab ipso Apostolorum ævo, universa servat Ecclesia: quales ante Baptismum

HHH 3

sunt

sunt *Abrenuntiatio satanae*, *Fidei promissio*, (quam adulti per se, & *suscipientes* parvulorum nomine præstant;) *signum Crucis* in fronte & pectore, *Exorcismus*, seu dæmonum adjuratio certis precibus facta, *gustus salis*; *tactus narium*, & *aurium cum saliva*, exemplo Christi sputo tangentis linguam & aures muti *Marci* 7. & oculos cæci nati *Joan.* 9. *Impositio manuum*, ac *benedictio Sacerdotis*, *Unctio* facta oleo sacro in pectore & scapulis. Cærimoniarum quæ Baptismum comitantur sunt: *Impositio nominis*, *susceptores* à quibus baptizati in fide instituuntur, *consecratio aquæ*, *trina immersio*. Cærimoniarum post Baptismum: *Unctio Chrisma* in vertice; *Cereus accensus*, qui baptizato datur in signum fidei & gratiæ acceptæ; *Vestis candida*, quam ferre solebant baptizati à Sabbatho sancto ad Dominicam in Albis; quo ritu nunc Sacerdos tegit candido linteolo caput baptizati, dicendo: *Accipe vestem candidam* &c. Quam verò hæ Baptismi cærimoniarum antiquæ sint, vel ex ipsâ Apostolicâ traditione, vel ex usu nascentis Ecclesiæ, eruditè per singula ostendit Bellarminus ex Concilijs, & Patribus, Baronius, Valentia disp. 4. Suarez disp. 30. Vasquez disp. 166. alijque scriptores Catholicorum, neque hic prosequi necesse est.

Ad Carolum Magnum appellasti, hunc tibi & hic sistere parerit. Carolus igitur Capitularium lib. 1. c. 7: *Episcopi diligenter discutiant per suas parochias, id est diœceses, Presbyterorum fidem, Baptisma Catholicum, & Missarum celebrationes*. Baptisma verò Catholicum est, quod non solum materiâ & formâ constat, sed Catholicis cærimonijs integrum est. Quare in Concilio Moguntino can. 4. Patres decernunt: *Sacramenta Baptismatis, volumus, ut sicut sancta vestra, (scilicet Caroli Magni) fuit admonitio, ita concorditer & uniformiter in singulis parochijs, secundum Romanum ordinem inter nos celebrentur, jugiterque conserventur*. Idem præscribitur ex Aquisgranensi Synodo, in Constitutionibus Caroli Magni, *Ritu verò & ordine Romano* continentur cærimoniarum suprà recitarum, ut veteres ritualium libri commonstrant. Explicatè hos Baptismi ritus habes in Epistola Caroli ad Albinum, aut quisquis auctor ille est eorum temporum, Deinde Capitularium libro 6. c. 195: *Placuit, ut fideles intelligant pactum, quodcum Deo in Baptismo fecerunt: Quid sit abrenuntiare diaboli operibus & pompis ejus, & omnibus operibus ejus*. Eò spectant, quæ passim lingua Theotisca per catechesin tradebantur bapti-

baptizandis, quæque in *Liptinensi* concilio legas, ex quo & Carolus Magnus hæc inter Capitularia sua retulit. Nam priusquam ad Baptismum admitterentur ex gentilismo Saxones, jubeantur *orationem Dominicam*, & fidei *Symbolum* & abrenuntiationem diaboli ediscere, ut in Baptismo interrogati, patriâ linguâ respondere possent. Qui mos etiamnum obtinet apud Germanos, & Saxones.

Cæterum ipsum Baptismum à Sacerdote Latinâ linguâ administratum esse constat ex rudi Sacerdote, qui Grammaticæ non satis peritus, fractis verbis baptizarat: *In nomine Patriæ, & filia, & Spiritu sancta.* Quem Baptismum cum D. Bonifacius iterare vellet, consulto tamen prius Zacharia Pontifice, Baptismum validum pronuntiavit, nec iterandum; ut habetur tom. 17. Concil. Paris. ex epistola Zachariæ ad Bonifacium, & apud Gratianum de consecrat. dist. 14. c. *Retulerunt nuntij.* Non verò ob id præcepit Pontifex, ut Germanicâ linguâ Baptismus administraretur. Hinc & Carolus Magnus lib. 6. Capitularium c. 181: *De quibus dubium est, utrum sint baptizati, an non? omnimodis absque ullo scrupulo baptizentur.* His tamen verbis præmissis: *Non te rebaptizo, sed si nondum baptizatus es; Baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Nec aliâ linguâ quam Latinâ omnia Sacramenta sunt peracta, tempore Caroli Magni per Saxoniam & universam Germaniam, quæ tandem Lutherus primum, ut cætera omnia, immutavit, pervertitque. Ubi enim signum Crucis? ubi exorcismus? ubi impositio manuum? ubi unctio sacri olei in pectore & scapulis? ubi Chrisma, quo in vertice unguntur baptizati? ubi cæteræ preces & cærimoniæ? tantum abest, ut sacrum oleum & chrisma conficiatis, quo inuncti Christiani dicimur, ut ne aquam quidem consecrare possitis.

Quamquam non omnes cærimoniæ Baptismi ita abrogatæ apud vos, quin ex ijs retinueritis *impositionem nominis, susceptores ac sponsores, recitationem Symboli*, & alibi etiam *abrenuntiationem diaboli*, trinam immersionem, seu effusionem aquæ super caput; tametsi jam in aliquibus Saxoniarum locis invaluerit, ut in dorso baptizentur pueri. Hic denuò requirunt Catholici à vobis: quo principio religionis vestræ hæc cærimonias retineatis? quas neque ex Scriptura, neque Apostolorum exemplo probare potestis, quòd tamen omnia revocari vultis. Interim nihil frequentius in Augustanâ confessione, & Apologia legas, quam *damnari*
traditio-

traditiones humanas; quales certè hæ carimonix sunt, quas aut Apostoli, aut Ecclesia, pro suâ potestate à Christo & Apostolis accepta, ad majorem solemnitate, & reverentiam Sacramenti, & ad populi etiam instructionem instituit; ut per visibilia signa, abdita mysteria, effectusque Sacramentorum doceantur: quæ & Carolus Magnus ob id *ex adducto cap. 190. lib. 6. Capitul.* populo explicari voluit.

Nunc quid carpas in Catholicis, audiamus. I. Non probas antiquum ritum, quo olim in Ecclesia, festo Paschatis & Pentecostes, solemnibus Baptismus agebatur, quod id à Siricio Papa, & Leone M. introductum dicas: (addere poteris *Gelasium Papam* Epist. 1. c. 12, *Cyrillum* in catechesibus, *Hieronymum* ad Pammachium, *Augustinum* lib. de cura pro mort. c. 12: *Veni Pascha, dedit nomen inter alios competentes*) non tamen ob id, si necessitas posceret, extra illud tempus vetitum erat baptizare: quod vel ex Carolo Magno discere poteris, qui licet hanc consuetudinem probavit, servarique voluerit; non tamen exclusit alia tempora necessitatis. Ita enim lib. 5. Capitularium cap. 104: *Baptismus non fiat nisi statutis temporibus, id est Pascha & Pentecoste, nisi infirmitas intercesserit.* Et c. 11. *ut non baptizetur nisi in vicis publicis.* Idem præscribit lib. 6. c. 178, etiam in infantibus servandum; Et c. 185. addit: *nisi infirmitas occupaverit.* Solemnis enim Baptismus ad venerationem hujus Sacramenti ab Ecclesia ordinatus erat. Quare solemnibus hunc Baptismo Carolus Magnus pridie Paschatis Romæ interesse voluit, cum Hadrianus Pontifex Baptismatis Sacramentum celebraret, uti Anastasius in vita Hadriani PP. refert: ac secundo adventu, Romæ Pipinum filium in Paschate baptizari voluit. Verum hic sollemnis erat Baptismus in epistola Caroli Magni ad Albinum magnificè descriptus. Inde manet hodie dum in Ecclesia ritus consecrandi Fontes baptismales, pridie Paschæ & Pentecostes, qui dudum apud vos cum cæteris exolevit. Interim Tertullianus lib. de Baptismo c. 19: *Diem sollemniorum Baptismo præstare; ceterum omnis dies Domini, omnis hora, omne tempus habile Baptismo.* Idem Cyprianus docuit teste Augustino Epist. 28. ad Hieronymum, consultus an ad modum circumcisionis octavus dies expectandus esset? Respondit: *Animam pueri non esse perdendam, sed ante etiam baptizari posse.* ita censuit cum Episcopis. Itaque Baptismus sollemnis, quo catechumeni, & adulti cum primis post instructionem baptizabantur, non excludit Baptismos aliorum tempo-

temporum, incrementum nimirum fidelium multitudine. Quam ob causam multa sæpe fuerunt mutanda in Ecclesia: Quemadmodum Basilius, Nazianzenus, Nyssenus, alijque Patres dilatum Baptismum magnopere reprehendunt in suis orationibus apud Baron. ad an. Christi 377. Quare in Concilio Moguntino can. 4. ubi Baptismus hic solemniter commendatur, addit: *Non interdicta licentia, quâ in Baptismo tribuendo, quolibet tempore periclitantibus subvenitur.* Et Siricius: *Si in qualibet necessitate opus fuerit sacri undâ Baptismatis, omni volumus celeritate succurri.*

Alterâ parte, de subjecto Baptismi, Nifanius ad plebeias calumnias deflectit: *Catholici, inquit, non solum homines, sed & campanas suas baptizant.* Non te pudet ejus calumniæ & mendacij? quasi Catholici nescirent subjectum Baptismi, sicut & aliorum Sacramentorum, esse solum hominem gratiæ capacem. Aut quis Sacerdos formâ Baptismi ulli alij creaturæ unquam, quàm homini adhibuit? quæ obstetrix etiam aliter Baptismum administrat, quàm infanti? Rationem dant Theologi, quòd ad solos homines institutio Christi sit directâ. Hæc tu scis docere, & facere Catholicos: & tamen contra mentem palàm scribere, & declamare apud plebem non desinis; tanquam ad hoc *Licentiatum Theologia* creatus sis, ut licentiam habeas calumniandi. *Hecuba* tua si hæc diceret, aut tutor aliquis Lutheranus, rideretur. Legatione fungimur pro Christo, quotquot ministri Christi sumus; nisi tu legatus esse mavis, qui mentendi causa pro republica tua sis missus. Sed audiamus, quomodo probes: *Pontificale, inquit, Romanum hæc profitetur.* Tunc *Episcopus* es *Bilsfeldensis*, & non legisti Pontificale, seu librum rituum? Ego nullam *baptismi* mentionem invenio, in toto hoc actu *benedictionis* campanarum. At, inquit, *sal, & aqua exorcizatur, ad expellendum ex campana demonem, ut pravorum spirituum depellat nequitiam.* Ecce, quàm stupidus es *Episcopus*! Hæc aqua est *benedictio*, non campana: quæ fit etiam in consecratione altaris, & templi, ut aquâ benedictâ aspergi possint *Forma benedictionis* campanæ hæc est: *Sanctificetur, & consecretur signum istud, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, in honorem sancti N.* Simili ritu quàm multa benedicuntur in Ecclesia?

Pergis, & opponis hæc verba, ex Ordine, & Pontificali libro: *Post rinctum aquâ tintinnabulum, petitur, ut elementum aquæ mysterialiter Baptismo commodum, sancti Spiritus sui sanctitate reddatur.* Ubi hæc verba

in Pontificali Romano legisti? Et si alibi legisti similia, scito, spectare hæc ad benedictionem aquæ; quæ ut Baptismi mysterio subservit, ita aliarum etiam rerum benedictioni. Et quid hosce metaphoricos loquendi modos scrutaris? cum in Scriptura habeas: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis?* 1. Cor. 15.

Pergis, & dicis: nomina sanctorum imponuntur campanæ, & Patrini adhibentur. & nomina imponuntur, ut sub ejus patrocinio populus ad Ecclesiam vocetur; ita etiam castellis, navibus, alijsque nomina SS. imponuntur, ad patrocinium sancti alicujus. Patrini subinde deliguntur pro sumptibus æris campani, idque ab egenâ plebe fit, quæ id nomen per abusum dat. Sed nullus Episcopus hosce ritus benedictioni, ubi impensæ suppetunt, adhibet. Ex his alijsque, ut Bellarminus advertit, vulgus tantum imperitum campanarum benedictionem, baptismum vocare: sicut vulgus vos *Sacerdotes*, & *Prædicantes* appellat, quales tamen vos nec esse, nec dici vultis. Inò, inquis, campanæ unguuntur oleo sacro. Ita est. etiam altaria, calices, & templorum parietes, oleo sacro unguuntur, ut res Deo consecrata, & ad cultum divinum deputata intelligantur; ne quis profanare audeat, quod ut antè omnes pagani, & Turcæ, ita hæretici faciunt, maledicâ hac vestrâ doctrinâ provocati. Scribis, Bellarminum queri de hoc injuria, quod baptismus campanarum nobis adscribatur. Ita est: sed non immeritò queritur Bellarminus, & refutat lib. 4. de Pontif. c. 12. Sed opponis illi Danhauerum vestrum, qui id probat. & Danhauerus tantus est mendax, quantus tu es, & Magdeburgenses, qui id Cent. 10. c. 6. scribere primum & mentiri sunt ausi. Quam antiquus sit usus campanarum, & quam hic ritus non minus, quam panis, olei, cerei Paschalis, aliarumque rerum, in Ecclesia sit laudabilis & utilis, leges apud Suarez lib. 2. in defens. fidei Cath. c. 16. ubi hanc questionem pertractat. Et quid reprehensionis invenis in illis benedictionibus? cum D. Paulus 1. ad Timoth. dicat: *Creaturam omnem Verbo Dei, & oratione sanctificari?*

Postremum Caroli Magni legem adfers ex Constitutionibus ejus, quæ sic habet: *Clocas non baptizent.* Recitemus integrè ex Capitulari Aquilgranensi, quod est in tomis Conciliorum. *Clocas*, id est campanæ, non baptizentur, nec charta per perticas pendeant propter grandinem. Non istic Carolus campanarum benedictionem prohibet, sed abusum & superstitionem.

perstitutionem, ut ex adjunctis patet. Multa ejusmodi vel ex paganorum ritibus, vel per populi inscitiam irrepere, quæ passim Carolus vetat: ut constat ex indiculo superstitionum, & Capitularium libris. Caterum, ut Carolus Magnus voluerit ab Episcopis altaria, vestimenta sacerdotalia, & omnia quæ ad usum Basilicæ spectant consecrari, relatum est suprà ex lib. 7. Capitularium c. 338. Quæ omnia à vobis Lutheranis inter superstitionis ritus damnantur, tanto jam vos Carolo Magno & omnibus Concilijs, & Patribus antiquis sapientiores. Omissis in hanc rem testimonijs, quæ ab alijs producuntur, unum Augustinum audiamus; ut vel ex his cærimonijs aperte constet, quanta in omnibus etiam ritibus Catholicæ Ecclesiæ nostræ consensus sit cum antiquâ Ecclesiâ, quæ à tempore S. Augustini toto orbe terrarum diffusa, hisce ritibus baptizavit, nec aliunde has cærimonias accepit, quàm ex Apostolicâ traditione.

*CÆRIMONIAE BAPTISMI,
Ex D. Augustino demonstratæ.*

De signo Crucis, quo aqua Baptismatis consecratur.

Per mare transitus Baptismus est, sed quia Baptismus, id est salutis aqua, non est salutis, nisi Christi nomine consecrata, qui pro nobis sanguinem fudit, cruce ipsius aqua signatur. Hom. 27. c. 1. tom. 10. Lib. 4. 50. Hom. Crucis mysterio, rudes catechizantur; eodem mysterio fons regenerationis consecratur. Serm. 19. de Sanctis. Signo crucis consecratur unda Baptismatis, ut eâ diluatur reatus, tanquam in chirographo scriptus. lib. 6. contra Pelag. c. 8. Ecclesia Baptismo, & passionis Christi signaculo liberatur. q. 51. tom. 4. 65. quæst.

*EXORCISMVS,
et exsufflatio Baptizandorum.*

Illud etiam, quod circa baptizandos in universo mundo sancta Ecclesia uniformiter agit, non otioso contemplamur intuitu: Cum sive parvuli, sive juvenes,

juvenes, ad regenerationis veniunt Sacramentum, non prius fontem vitæ adeant, quàm exorcismis, & sufflationibus Clericorum, spiritus ab eis immundus abigatur; ut tum verè appareat, quando Princeps hujus mundi mittatur foras. lib. de dogm. Ecclesiast. c. 31. Parvuli propterea catechizantur, & exsufflantur, ac baptizantur, ut Princeps hujus mundi foras mittatur. Verùm opinor, quod eis Baptismo vestro baptizandis minime exsuffletis, ne non imagini Dei, sed diaboli faciatis injuriam. tom. 7. Hypog. lib. 5. circa finem. Accusat Ecclesiam toto orbe diffusam, in quâ ubique omnes baptizandi infantuli, non ob aliud exsufflantur, nisi ut in eis Princeps mundi mittatur foras, à quo necesse est vasa iræ possideantur, cum ex Adamo nascuntur, si in Christo non renascantur. Contra istam fundatissimam veniens veritatem, ne universam Christi Ecclesiam oppugnare videatur, quasi me unum alloquitur. lib. 2. de nuptijs & concup. c. 17. & 18. In veritate, non falsitate, potestas diabolica exorcizatur in parvulis, eique renuntiant; quia per sua non possunt, per corda, & ora gestantum id faciunt. lib. 1. de nuptijs & concup. c. 20. Verùm est, quod antiquitus veraci fide Catholica predicatur, & creditur per Ecclesiam totam, quæ filios fidelium nec exorcizaret, nec exsufflaret, si non eos de potestate tenebrarum & à principe mortis erueret. Lib. 6. contra Pelag. c. 2. Eadem habet Epist. 109. ad S. Sixtum contra Manichæos & Pelagianos, quos Lutherani sequi malunt, quam totam Ecclesiam Catholicam, ad quam B. Augustinus provocat.

*Oleo sacro, et Chrismate baptizati inuncti,
tempore S. Augustini.*

Omnes qui ad salutarem Baptismum consequendum Ecclesia offeruntur, & Chrisma & oleum benedictionis accipiunt, ut jam non vasa vacua, sed Deo plena, & templum Dei esse mereantur. Serm. 206. de temp. Ad omnes Christianos pertinet Unctio, prioribus temporibus autem veteris Testamenti ad duas solum personas pertinebat. tract. 44. in Joan. Id quod pluribus explicat I b. de vita Christiana c. 1, docetque in veteri lege Sacerdotes, & Reges inungi solitos; in Christi verò lege omnes Christianos inungi solitos. Inde subjungit: *Ex Sacramento unctionis hujus, & Christi,*

fit & Christianorum omnium, id est, in Christo credentium, vocabulum descendit & nomen. Eadem repet. lib. c. 40. qq. Evang. Demum Benedicimus fontem Baptismatis oleo Unctionis: huic accedit, quod ter oleo inungimus, quos baptizamus. Quæ Augustini nomine citantur in decret. dist. II. Can. Ecclesiast. ex dictis Basilij.

Abrenuntiatio satanæ.

Ex quâ re nobis factus est adversarius diabolus, nisi ex hac, quia renuntiavimus diabolo, pompis & Angelis ejus? Lib. I. de Symb. c. I. Ubi multis exponit hanc renuntiationem diaboli. Uti & lib. 3. c. I. & concione contra Judæos & Paganos, catechumenos alloquens: *Exspectatur dies judicii, & præsto erit adversarius diabolus: recitabuntur verba professionis nostræ.* Serm. 10. de tempore susceptores baptizatorum alloquens: *Agnosceant se, inquit, fidejussores esse ipsorum, pro ipsis enim respondent, quod abrenuntient diabolo, pompis, & operibus ejus.*

Trinamersio in Baptismo.

Quando in salutari lavacro tertio Christiani merguntur, tunc *Ægyptij*, id est originalia peccata, vel actualia crimina quasi in rubro mari sepehantur. tom. 10. de temp. serm. 91: *Postquam credere promissistis, tertio capita vestra in sacro fonte demersimus: rectè enim tertio mersi estis, quia accepistis Baptismum in nomine sanctæ Trinitatis.* ex hom. S. Aug. 4. de Consecr. dist. 4. Can. 76. Eadem legis serm. 201. de tempore.

Hæc paucis de cærimonijs Baptismi ex Augustino, quas vos Lutherani primum abrogastis, & abiecitistis. Tuum nunc tibi Lutherum, ex ordine D. Augustini profugum Monachum, cum Manichæis & Pelagianis relinquimus. Nobis cum Augustino, & fundatissima Catholica Ecclesia (ad quam Augustinus pro cærimonijs provocat) stare, & sentire placet. Illa pia nobis mater est, quæ nos per Baptismum regeneravit in Christo, unctosque *Chrismate*, nomen Christiani hominis ab utero materno profiteri docuit.